Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35450
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

dilectos omnem tristitiam dilectorum transcendat et ita dulcis quod omnis adversitas tristitia nobis propter sua dilectione dulcescat. Et ita perseverant quod nil tristitiarum nos ab eius dilectione separet ut audacter cum apostolo dicere valeamus Quis nos separabit a caritate Christi q. d. nullus. Tertio debemus spiritualiter vigilare in sedula perfectione ut virtutes acquisitas usque in fine possimus conservare. Nos videmus ad sensum quod ista mercatores merces per ipsos acquisitas multum sollicite et cum multis vigiliis et laboribus conservant. Ita spiritualiter quamvis magnum sit virtutes acquirere tamen adhuc multo maius est virtutes acquisitas perseveranter usque in fine conservare et custodire. Unde dicit Bernardus Perseverancia est unica regis filia et consumacio virtutum. Item quam nobilis virtus est perseverancia ipsa enim omnia bona bono fine concludit. Iuxta verbum salvatoris Qui perseveraverit usque in fine hic salvus erit. Unde ipsa est coronatrix omnium virtutum. Vigilemus ergo perseveranter ut virtutes nostras usque in fine custodiamus. Quia dicitur apocalipsis 16 Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua ne nudus ambulet. Dicuntur eciam virtutes et vestimenta quia sicut vestimenta corpus vestiunt sic virtutes animam. Et sicut nuditas corporis est confusio coram hominibus sic carencia virtutum est confusio in conspectu dei et angelorum. Necesse ergo est nobis ut sic vigilemus ne vestimenta virtutum amittamus. Si enim homo vestimenta corporis cum tam maiori dili

gencia custodit ut pre ceteris hominibus in sollempnitatibus fulgeat quanto magis debemus custodire vestimenta virtutum in quibus anima sua fulgeat debemus in sollempnitate futura que non habebit finem. Unde nota quod anima que debet venire ad istam futuram sollempnitatem debet esse vestita multiplici vestimento. Primo vestimento virtuoso hoc est vestimento fidei de quo scribitur apocalipsis xii Mulier amicta sole et luna sub pedibus eius. Per istam mulierem intelligitur anima que debet esse multe fecunditatis virtutum et debet esse amicta sole per irradiacionem fidei ad cognoscendum celestia. Quia fides est illuminacio anime ad cognoscendum deum. Et luna que est mutabilis debet esse sub pedibus eius per despectum omnium terrenorum sive mutabilium. Intra pedes autem significant affectus anime. Tunc autem anima habet lunam sub pedibus eius quando ad ista temporalia non afficitur. Quia dicit Gregorius Per fidem mens ad altitudinem ducitur ut cuncta visibilia despiciat intra et ea que sunt invisibilia consequatur in celo. Secundo debet esse vestita aureo vestimento scilicet humilitatis. Istud vestimentum humilitatis perfecte est vestimentum quod eciam humilitas potest dici vestis nupcialis. Comparatur autem humilitas auro quia sicut aurum invenitur in loco humili scilicet in terra sic humilitas semper querit infimum locum in hac vita. Et sicut fulgur auri non apparet quamdiu iacet in occulto ventris terre sed quando de terra tollitur ad lucem tunc primo incipit apparere